

attracti, pulmonibus recepti; toto aere simili huic vaporī per artem reddito; usus etiam largus potuum similium, cum melle in primis & aceto, multum prodest; medicamenta leniter fesolvendo antipyretica, ut est stibium diaphoreticum cum nitro fixante; leniter opia; sudoris evitatio; maxime tandem placida animi quiete.

## PERIPNEUMONIA NOTHA.

867. Quae peripneumonia hyeme a frigore, verno tempore a calore superveniente multoties accidit, oriri solet ex pituita lenta in toto sanguine nata ex causis recensitis olim, (69. 72.) & sensim pulmones infarciente, donec in pessimum hunc, & improviso saepe lethalem, morbum eat.

868. Ubi paululum adolevit id malum, produxit jam in toto corpore effectus plurimos, (72. 73. 74.) tumque praeterea eos, qui peripneumoniae lentae proprii, (825. 826.) unde malum curatu difficultum.

869. Nam missio sanguinis, eousque celebrata, ut in hoc morbo requiritur (854.) nocet admodum ob debiliora viscera, nimisque aliena humida lenta; hinc primo juvare visa, mox mala auget.

870.

870. Attenuantia autem adeo hic famigerata, dum impetum in vasa pulmonalia augent, densitatem, impactumque obstruentis saepe augent, simulque morbum cito reddunt lethalem.

871. Morbus ille senibus, pituitosis, frigidis, catarrhosis, gravedine laborantibus frequens, sequi solet omnes causas, quae stagnantia cito movendo in pulmones agunt, ut cussus, declamatio, cantus, ebrietas in primis a valide calefientibus, commissatio, calor foci, balnei, solis, maxime si aestum hinc natum subito frigus ingens excepit.

872. Primo fallaci lenitate opprimit nec opinantes: quippe levi fatigatione, debilitate, prostrato omni fere animi motu, anhelitu, oppressione pectoris incipiens, adeo leves motus excitat, ut vix caloris, febrive indicia moneant periculi: mox vagae horripilationes, leviusculi febris insultus adfunt; unde subito crescente anhelitu & debilitate mors; cuius in urina & pulsu vix ullum adfuit praesagium.

873. Curatur hac methodo cautissima:  
 1. mittatur sanguis ex largo vulnere. 2. mox eluatur alvus clysmate, quod repetatur quotidie, donec signa docuerint levari pulmonem. 3. utatur victu tenuissimo juris carnium, in primis cum levi acido, potu  
 tenui

tenui ex aqua & melle. 4. vapores, suffit-  
tusque descripti, (866.) decocta diluen-  
tia, abstergentia, lenissime aperientia af-  
fiduo potanda, adhibeantur; simulque bal-  
nea crurum, pedumque, & larga ves-  
cantia.

874. Ex his omnibus (820. ad 874.)  
ratio datur, cur pueris hic morbus, fo-  
minisque rarius? ut & iis, qui laxae sunt  
structurae quoad solidorum fabricam cur-  
vix accidat? Cur in his facile, & fere spon-  
te, sanetur? contra in robustis exercita-  
tisque corporibus? ex iisdem pariter li-  
quet, hunc morbum fere fieri ex omni  
alio praegresso, antequam ex eo moriatur  
aeger: adeoque proximam mortis cau-  
sam, & ultimum ferme omnium lethali-  
um morborum effectum, esse peripneu-  
moniam.

### PLEURITIS.

875. Pleuritis dicitur adesse, quando ae-  
ger laborat acuta, continua fe-  
bre, (564. 567.) cum pulsu duro; dolore  
acuto, punctorio, inflammatorio, (382.  
No. 3.) in inspiratu valide austro, in ex-  
spiratu vel animae retentione leniori, mi-  
tiori pariter, ubi respiratio, immoto tho-  
race, maxime ope abdominis fit; tussi fe-  
re